



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Speculum Veritatis Et Justitiæ: Repræsentans Pacem &
Æquitatem Principis, Veritatem Facti, Et Juris Evidentiam
Oppositum Caliginosæ Lampadi, Tribus Braxatoriæ
Hildesiensis Pro Principe, Capitulo ...**

Hildesheim, Anno 1691.

Num. 43. Extractus aus der/ von Weyland dem Hochwürdigstem und
Hochgebohrnem Fürsten/ Herrn Ferdinando Bischoffen zu Paderborn und
Münster hochseeligen Andenckens zusammen getragener/ von R. P. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38415


dis Episcopi licentia studio venandi vel silvam extirpandi vel aliquod hujusmodi negotium peragendi umquam intrare presumpserit, sciat se tam divinae quam & regiae ultionis vindictam incursum, nec non pro delicto sexaginta solidos nostri ponderis quos nobis pro banno violato debere statuimus redditurum. Insuper vero eidem Episcopo suisque successoribus perpetuam concedimus libertatem & ab omni regali servitio confirmamus absolutionem, nisi forte contingat ut Imperator Romanorum vel Rex Grecorum conjugalia federa inter filios eorum contrahere disponant tunc Ecclesiae illius Episcopus omni sumptu a rege vel Imperatore adhibito laborem simul & honorem illius legationis assumat & hoc ea de causa statuimus quia in eodem loco grecas & latinas scolas in perpetuum manere ordinavimus & nunquam Clericos utriusque linguae gnaros ibidem deesse in Dei misericordia confidimus. Et ut haec auctoritas firmior habeatur ac diuturnis temporibus melius conservetur manu propria subter eam roborare decrevimus & de anulo nostro sigillare iussimus.

Signum **K** — **R** — **A** — **S** **V** — **L** Caroli piissimi Imperatoris

Amalbertus ad vicem Ercanbaldi recognovi

(L.S.)

Data XIII. Kl. Jan. anno III. Christo propitio Imperii nostri & XXXVII. regni nostri in Francia, atque XXXI. in Italia, Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter amen.



Num. 43.

Extractus aus der / von Beyland dem Hochwürdigstem und Hochgebohrnem Fürsten/ Herrn Ferdinando Bischoffen zu Paderborn und Münster hochseeligen Andenckens zusammen getragener / von R.P. Nicolao Schaten ad ordinem gebrachter und auff der Frey-Herlichen Familie von Fürstenberg Kosten im Jahr 1690. außgangener Historia Westphaliae lib. 8. pag. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. & 533.

Sed nunc altius quiddam ex Caroli munificentia & Episcoporum dignitate investigandum, utrumne Carolus M. primos Saxoniae Episcopos, quos tantis opibus & privilegiis cumulavit, politicam etiam potestate donavit, juraque, ut vocant, regalia dederit. Quam in re, mirum quantum nobis certamen sit cum iis, qui iniquis oculis Episcoporum opes & potentiam in Germaniam & Saxoniam aspiciunt: quantumque haereticorum scriptores hanc Episcoporum potestatem exagitant damnantque, tanquam abiectione suorum ministro.

ministrorum, Episcopos & Praefules metiri demum necesse sit. Regale in Christi Ecclesia Sacerdotium est, & honoratius quam in ullo legis fuit; quemadmodum vile apud illos fuit, qui ex Schismate veteris Ecclesiae à Jeroboamo Rege introducto cum haereticis desciverant, quique abjectos & viliissimae fortis homines, ut ex sacris literis constat, ad sacrorum suorum munus admovebant; sed quam Deus ex certâ Patriarchae tribu Sacerdotes genere & dignitate aspectabiles deligi tantummodo voluit, Pontifices etiam haud multum opibus & dignitate regibus ducibusque suis inferiores. Eò nunc Christi Sacerdotium attolli oportuit, quod Pontificum & Episcoporum obretractores longè infra illud collocant, ut Jeroboami sacrificulis & suis ministris pares faciant, eoque jam procedunt, ut nullo jure velint Episcopis & Sacerdotibus potestatem eminentiorem permitti posse; cum tamen planissimè constet in statu legis naturae, qui divinâ ordinatione inspirationeque regebatur, Patriarchas simul Sacerdotes & familiarum Principes fuisse, in eoque Melchisedechum Regem & Sacerdotem proferri. Qui deinde consecutus est scripturae legis status, quot ex eo iudices, Duces ac Reges simul summi Sacerdotes & Pontifices, Deo approbante & ordinante? Et tamen illis regnum sacerdotale, nobis regale Sacerdotium est datum multò digniore & sublimiore potestate. Et si rem ipsam rationemque consulamus, quid obstat quominus utraque potestas sacra & civilis in eundem hominem convenire possit. Hic si quid valeant ingenio & eruditione haeretici ostendant reluctantem naturâ rei, de quâ agimus, id pugnare: si divina lex id quoque non prohibeat, quae nihil contra legem naturae sancit, quid vetat hujusmodi casibus intervenire, ut jurisdictionem utramque in uno homine conjungere tam utile & conveniens, quam necessarium saepe fuerit? Ipsi adversarii nostrorum temporum, dum nos damnare volunt, hoc ipsum probant: Reges enim & Principes suos utraque potestate donant, quâ Rempublicam & Ecclesias suas regant, adeoque in reginas & foeminas transferunt, & tamen Episcopis abjudicant. Enim vero si jurisdictio sacra Episcoporum, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quaeque civili multò est sublimior, eorum iudicio possit communicari cum profanis Principibus & Regibus, quid impedit cur illa civilis potestas, quae longè est inferior, non possit communicari cum Episcopis? Quo argumenti genere Ferdinandus Princeps & Paderbornensis Episcopus hominem ex adversâ religione jactantem aliquanto ad silentium repressit.

Igitur quod in veteri Ecclesia factum constat, Christi Ecclesiae Christi quaeque Sacerdotibus subtrahi non debet; nam saepe ejusmodi tempora, quoque potentum injuriae intervenire, ut id profus non tam ad exornandam Sacerdotii dignitatem, quam ad conservanda Christi patrimonialia, accedatque hominum injurias necessarium fuerit. Inde à melioribus Ecclesiae saeculis Pontifices etiam sanctitate spectati regalia admiserunt. Civili principatum Alexandriae gessit Cyrillus Episcopus, & ab eo Alexandri Praefules de imperio urbis Aegypti cum praefectis decertarunt. Quare Socrates ex illo, inquit tempore Alexandrinus Episcopus praeter sacri Cleri dominatum, terrarum praeterea secularium principatum acquisivit. Ex qua potentia & iudiciali potestate caeteri Patriarchae & Episcopi Orientalis Ecclesiae saepe conspecti, id vel ex Theodosii M. lege recognoscas, qua sancitum: *ut omnes saepe, quae vel praetorio jure vel civili tractantur, Episcoporum sententia terminata, perpetuo stabilitatis jure firmantur. Nec liceat ulterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit.* Hanc legem Theodosii M. Carolus quoque M. inter suas recepit, & per Franciam Germaniamque servari voluit; adeo cum Episcopi iudices in congressibus & tribunalibus civilium etiam causarum, Pontifices praeterea Romani quibus opibus? quâ potestate exornati à Constantino M. caeterisque Imperatoribus & Regibus? Nimirum, quod à Broweto sapienter observatum est, pressam gentilium Imperatorum multiplici & diuturnâ persecutione Ecclesiam Deus ita extulit, uti Reges quasi sceptis & illis

L. 7. c. 7.

Tom. 20.
Par. Con-
cil. Capit.
lib. 6. c. 231
August.
Steuclus.
Biblioth.
Pontif. de
potest.

H. VI
28

& diadematis seipfos spoliantes Pontifices & Sacerdotes denique Principes facerent. Sanè quos Ducatus, quas urbium castellorumque possessiones, ac suprema jura Pipinus Rex Romano Pontifici aut confirmavit aut donavit, satis ab aliis & supra à nobis relatum est. At nullo in regno Sacerdotium honoratius quam in Gallia; laborante enim Romano Imperio, & per Gothos acciso, res publicas curarunt Episcopi, nunc prospere, nunc incaute; eò Sidonius ad Episcopos quosdam Gallia: *Per vos mala seclerum curant, per vos regni utriusque pacta conditionesque portantur.* Honorificentissimas illi ad Cæsares & Reges legationes susceperunt, urbiumque passim præfecti & moderatores fuerunt. Hinc qui Episcopi nomen nonnulli profanum tradunt cum Grotio, aut munus illud præfectorum urbium ad posteriora tempora trahunt cum Conringio, aliisque Episcoporum obrectatoribus, magnopere aut fallunt nos, aut falluntur. Succedentibus dein Francis, ut Dadinus vir eruditus scripsit, præfecturas, Comitatus, & alia Regalium insignia passim accepere Episcopi & Abbates, maximè Caroli M. & posteriorum Principum munere. Pervolvat quis annales Trevirensium, Coloniensium, Moguntinorum, aliorumque Episcoporum, & reperiet jam ante Caroli M. tempora liberalitate Regum Francorum, Episcopos per Austrasiam, quòd à Browero scriptum est, non minus opum & potentia, quam sanctitatis & virtutis famam fuisse celebres. Dagobertus Francorum Rex quidquid juris, aut regia superioritatis in bona Argentoratensis Diocesis sibi, aut suis quocumque modo competeret, in Amandum, & ejus in præsulatu legitimos successores liberrimè transfudit. Quæ Theodoricus Francorum Rex S. Vedasti Monasterio regalia dederit, testes sunt versus sepulchro Divi inscripti;

*Regis larga manus, & Præsul Vindictianus,
Nobis regale dant & jus Pontificale.*

Multa ejusmodi regalia D. Huberto Leodiensium Episcopo Caroli Martelli dono obvenerunt, quæ ejus Diocesis scriptores copiosè tradunt, interq; hos vetus Poëta:

*Illectus pietate vivi, ingenioque sagaci,
Huberto imperium terræ, & jus consulti omne.*

D. Burchardo sanctissimo Herbipolensium Episcopo, quem postea Paderbornensium Ecclesia primum vicarium etiam Episcopum habuit, donatione Pipini Regis Ducatus Orientalis Francia, aut magna certè pars ex eo cessit. Inde successores non modò Episcopi, sed & Ducis titulo fulgidi, penes quos vitæ & necis jus fuit. Quam in rem testificandam, sacrificante Episcopo, nudus ad aram gladius poni solitus. Hoc vetus ille versus signat:

Herbipolis sola judicat ense sola.

Planissimè hac super re Trithemius: Pipinus inquit, Rex ad instantiam S. Bonifacii Moguntini Archiepiscopi considerans fidem ac sanctitatem D. Pontificis VVirtzburgensis Burchardi, quò mediante apud Papam urbis Romæ Francorum regnum fuerat affectus, & quod Episcopium ejus adhuc novum temporalibus non satis esset provisum de consensu filiorum suorum Caroli cognomento postea Magni & Carolemanni, simul & omnium procerum totius regni Francorum, civitatem VVirtzburg eum omnibus proventibus & utilitatibus ejus regali munificentia donavit Ecclesie Cathedrali, hoc est sancto Burchardo Episcopo VVirtzburgensi memorato, & ejus in perpetuam successoribus proprietatem. Castellum quoque Carlsburg cum villa, quæ Carlestat nominatur, & alia plura Ecclesie prædictæ contulit novus Rex Pipinus. Titulum quoque, & dignitatem cum emolumento Ducatus Francorum Orientalium idem Rex Pipinus dono dedit perpetuo Ecclesie VVirtzburgensi, & sancto Burchardo illius primo Antistiti, ejusque successoribus in perpetuum, quibus & potestatem dedit judicium ordinandi, & judicandi secundum legem & consuetudinem Francorum, in omnibus causis per Universum Ducatum, D. Adalhardus, Caroli M. Consobrini & Corbeiensis in Gallia Abbas, teste Paschasio Radbergo, loco Bernardi pueri, ac Pipini Regis filii, per sexennium totum administravit Longobardorum Regnum. Et quid veter Episcopis committi suarum Diocesium in politicis procurationem? Quando etiam Abbatibus, ut tot Cæsarium diplomata docent, jurisdicctio civilis data est

Roman.
Pont. Bro
vver. an-
tiq. Fuld.
lib. 1. c. 19.

lib. 7. ep. 6.

Dadinus
de Duc. &
Comit. l.
3. c. 6.
Brov. in
Ann. Trev.
l. 6. ad au.
550.

Sigeb.
Guiliman
in S. Aman-
do Episc.
Miræus in
Chron. ad
ann. 690.

Joan. Rober-
ti in Pa-
ralip. ad
vitæ ejus

Bruschius
in catal.
Episc. Her-
bipol.

Trithem.
de orig.
Franc. in
Pipino.

quam

quam illa per Advocatos administrare jubentur. Tadio sim, cætera si proferam, cum ea regalium donatione ante Carolum M. plena sit Francia, Belgica utraque & Germania. Hæc continuata Regum Francorum, ex quo Christiani esse cœperunt, supra omnes prope orbis Principes fuit libertas: quantumque hi Ecclesiam & Præsules Ecclesiarum locupletarunt, ornaverunt regalibus; tantum Deus quoque Regnum Francorum præ cæteris regnis ampliavit; donec Carolus M. accederet, tantumque felicitate & amplitudine regni superaret cæteros Francorum Reges, quantum veneratione Romanorum Pontificum, & liberalitate in Episcopos supergressus universos Christianorum Principes. Ac nulla donatione Carolus M. clarior, quàm quòd Saxoniam, tam longis & ærumnosis bellis victam, divisit inter Episcopos & Sacerdotes, largissimâ Principum potestate donatos. Id tamen ipse toties profiteatur in diplomate; non tamen sibi persuadere sinunt obtractatores Episcoporum, qui post Lehmannum, Spiersis historiæ scriptorem, magno numero Episcoporum opes & potestatem exagitant, nixi cum primis Apologiâ Augustanæ confessionis, ac falso suæ hæresis principio; tanquam una sit politica potestas, quæ cum Sacerdotibus & Episcopis communicari nec possit, nec debeat. Interim factum agnoscunt: Sed à quo Cæsare aut Rege primum hac civili jurisdictione donati sint Episcopi Germaniæ, nec inter ipsos quidem convenit. Plerique ad Ottonem M. hæc referunt; is enim, ut exploratum est, fratrem suum Brunonem Archiepiscopum Colonensem amplâ Principum jurisdictione decoravit; ac tum, verso rerum statu, im perioque post extinctam Caroli M. stirpem ad Saxones translato, Episcopos sibi id primum vœdicasse voluit, quod cæteri plerique Duces Marchiones & Comites factitare videbant, hæreditariâ possessione retinendo. quod vicario munere hætenus administrant. Quemadmodum & in Galliâ post emortuam Caroli M. progeniem regiam factum esse scriptores eorum perhibent. Sed hoc illi fecerunt, qui aut fiduciariorum ac vasallorum nomine, aut temporariorum ministrorum munere hæc possidebant: frustra in hanc partitionem Episcopi introducuntur, quibus jam dudum antè suæ Diocesis jura ac bona perpetuâ donatione obvenerant, quo minus his regnorum spoliis infingerent. Alii referunt ad Ludovicum Pium Cæsarem & Caroli M. filium hæc altius porrigunt, Helmoldi cum primis auctoritate subnixi: Ita enim ille perhibet: Postquam Carolus Francorum Rex & Romanorum Imperator Augustus ad cælos emigravit, Ludovicus filius ejus successit ei in regnum: Qui paternis per omnia votis concordans, eadem liberalitate, quâ pater ejus, erga cultum domus Dei, & omnem Clerum usus est, amplissimas regni divitias ad decorem & gloriam Ecclesie intorquens, in tantum, ut Episcopi, qui propter animarum regimen Principes sunt cæli, ipse eosdem nihilominus Principes efficeret regni. Sed hic mediæ ætatis clarus scriptor, dum Ludovicum Pium patris instituto Episcopos exornasse extulisseque scribit, ad Carolum M. potius hujus Principatus auctorem se retulit; & quantum ex his, quæ de Hamburgensi Ecclesiâ à Carolo M. cœpta subjungit, æstimaveris, haud aliud visus est dicere, quàm Ludovicum Cæsarem eo splendore & magnificentiâ Ansgarium primum ejus loci Episcopum, quod Carolus cæteros per Saxoniam, introduxisse. Nam Heridagus Presbyter vir sanctus, à Carolo M. Hamburgi collocatus, ut idem auctor retulit, ad Episcopatum gradum & dignitatem non pervenit; neque Carolo Danorum & Normannorum bellis præpedito Episcopatum illum perinde ut cæteros perficere licuit, quod opus à Ludovico filio susceptum absolutumque. Ideo Ansgarium & successores ejus inter Principes Regni provexit, quod idem Carolus in aliis Saxoniarum Episcopis fecisse sciebat. Ita verò decessit illi Carolini Episcopatus per Saxoniam Patris filique munificentia ad suam abolitionem simulque ad eandem Principatus dignitatem pervenire.

Inde nunc mihi à Carolo M. hanc Episcoporum jurisdictionem & potentiam, quæ per Regalia Principes nominati sunt, antequam plerique alii hærent.

Bullieres
in histor.
Franc.

Helmold.
lib. 1. c. 4.

H. VI
28

hereditarios Principatus adirent, arcessere lubet. Non hic de cæteris per Germaniam Episcopis contendo, et si par causa, cum id singulorum annuum scriptoribus incumbat proferre, ac multi jam id egregie præstiterint; nobis Carolini tantum per Saxoniam Episcopi propositi sunt, iisque sua regalia asserere: Quam in rem nihil testatius certiusque, quam ipsa Caroli diplomata, quæ ex Bremensis & Verdensis Ecclesiæ tabulariis dedimus. His verò cum profiteatur Carolus se more Romanorum Saxoniam à se debellatam in provincias redegisse, atque in Episcopatus certo limite distribuisse (quemadmodum in cæteris quoque Episcoporum Diocæsi- bus præstitisse haud dubium esse potest) argumento est hisce Diocæsi- bus & finium descriptionibus, collatisque amplissimis prædiorum & vicorum & subje- ctorum hominum possessionibus ac decimis, regalium & Principatus initia fecisse, quæ post aliis Cæsaris donationibus nunc aucta, nunc confirmata sint. Hinc in Bremensi diplomate Carolus: *Ne quis, aliquam sibi in eadem Diocæsi potestatem usurpet, certo eam se limite terminasse: & in Verdensi omnes se libertates & immunitates Ecclesiæ donare profiteatur.* Inter quas prima est jurisdictionis Episco- porum, qualis ævo illo jam recepta erat. Multò hæc explicatius in diploma- te Carolino Osnabrugensi Ecclesiæ dato; id quod ex ipso autographo Ca- roli M. à nobis exscripto Ferdinandus Episcopus noster in Monumentis suis Paderbornensibus dedit, quodque tempore ad annum Christi 803, quo con- signatum est, integrum recitabimus: nunc illa tantum sistimus, quibus Carolus M. profiteatur se Wihoni primo Osnabrugensi Episcopo dare: *Omne regale vel seculare iudicium super servos suos, & Liddones, & liberos, & omnes atrisque secus homines ad eandem Ecclesiæ pertinentes, quos modo possidet, vel deinceps acqui- serit; & perpetuam de Regia potestate confirmare absolutionem, ita ut nullus iudex publicus, Dux, Comes, vel Vice-Comes vel Scultetus, sive Missi Domini per tempora dis- currentes loca ipsius Episcopatus ad placita habenda vel freda exigenda & parafreda, aut ali- quem de præscriptis eidem Ecclesiæ pertinentem ad sua placita venire, vel ad mortem us- quam terrarum dijudicare, vel aliquo modo ullo inquam tempore aggravare audeant. Sed licet præfato Episcopo, suisque successoribus, & suo Advocato res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus sibi pertinentibus quieto ordine possidere, ordinare atque disponere. Quæ Ca- roli donatione & munificentia nihil ad jurisdictionem politicam Episcopo- rum desiderari poterat illustrius. Sanè verò dum Carolus ab omni pote- state regis subiectos Episcopo homines ac bona absolvit, in quem alium quàm in ipsum Episcopum hæc potestas translata fingi potest? Ut jam satis ex his constet regalia etiam jura Episcopis à Carolo donata esse. Rur- sum dum hæc donationis tabula sancit Carolus, ne quis ex subiectis Episcopo hominibus quemquam mortis supplicio plectat, in quem alium hæc potestas translata quàm in Episcopum? Nisi scelera horum demum impu- nita relinquere placeat. Sed indecorum, inquit, ejusmodi capitale judi- cium ferri ab Antistite sacrorum: Scio; hinc illi suos iudices, Advocatos & ministros habuerunt, quorum vicaria potestate hæc exercerentur; haud secus quàm modò Reges & politici Principes, atque etiamnum Archi- Episcopi & Episcopi per ministros iustitiæ hæc tractant. Hoc illud Caroli in aliâ lege de subiectis Episcopo hominibus: *Si de crimine accusantur, Episcopus pri- mum compelletur, ut ipse per advocatum suum, secundum quod lex est juxta conditio- nem singularum personarum iustitiam faciat.* Quæ eò minus quispiam mirabi- tur, qui recognoverit, quantum Theodosius M. & ex eius statuto Carolus M. supremis Episcoporum judiciis in decidendis controversiis detulerint; quæ super re extat illa utriusque Imperatoris præclara constitutio. Enim verò jam ante Carolum M. Episcopi Francorum regibus assidebant in publicis regni judiciis. Id vel ex diplomate Clotarii Regis cognoscent. Recito id ex ingres- su diplomatis: *Quotiescumque altercantur iuxta Palatii nostri iudicia, nostrorum que fidelium & Ecclesiarum seu Sacerdotum pro quarumcumque rerum negotiis noscantur advenire, oportet nobis in Dei nomine juxta legum severitatem inquirere, ut deinceps nulla videatur questio renovari. Ideoque cum nos in Dei nomine Mosalaco in palatio nostro**

Tom. 20.
Concil. ex
Capit. Ca-
roli.

Bignoni^o
in notis
ad Mar-
culph. lib.
1. c. 25.

una cum Apostolicis viris Patribus nostris Episcopis, optimatibus, ceterisque Palatii ministris... ad universorum causas audiendas, iustoque iudicio terminandas resideremus, etc. Obtinuit inde mos in Regno Francorum, ut Episcopi in omnibus Regni comitiis, synodis & conventibus iudices æque arbitri ante Duces, Marchiones & Comites considerent, sive in his sacræ, sive profanæ controversiæ tractarentur. Nequid hic addam de iudicio palatii, in quo coram Rege & Cæsare causæ publicæ agitabantur decidebanturque Episcoporum & Sacerdotum non minus quàm Comitum & Palatinorum ministrorum iudiciis; quod ad ipsum Clodoveum refert Hincmarus Rhemensium Archiepiscopus. Nam ex quo clarissimus ille Rex à D. Remigio fonte Baptisani ablutus ad Christi sacra transit, semper per Regum Francorum successiones in palatio fuere Apocrifarii, iique vel Episcopi, ut Angilramus Metensis Episcopus, & Hildebaldus Colonienfis Archi-Episcopus in aula Caroli M. vel alii ex Sacerdotum & Cleri numero præstantes viri, ad quas causæ cum primis Ecclesiasticæ uti ad cognitores & iudices relatæ sunt.

Hincmarus epist. c. 14. 15. & 16.

Verùm cur Carolus M. tam amplâ Regalium potestate donavit Episcopos Saxoniam, causam ipse reddit, nimirum, ut qui hactenus regie potestatis jugum ferre detrectarunt, victi divinâ magis virtute quàm suis armis Sacerdotibus reverent. Idque se pro amore ejus, qui victoriam contulit, fecisse, testatur; Tanquam Saxoniam inter Episcopos divisam terram Sacerdotalem esse voluerit. Ac nescio an in ullâ Germaniæ ac Francici Regni Provinciâ unquam regale Sacerdotium magnificentius quàm per Saxoniam conspectum fuerit. Censuit præterea Carolus Saxonum gentem toties sibi perfidam ac Rebellem multò consultius miti Sacerdotum imperio, quàm aliorum dominationum severitati & cupiditati committi, eosdemque tutius pòpolorum loco Dominos, qui fidei essent Magistri: nec prius indomitas gentes in stabilem obedientiam subigi posse, quàm per Christianam Religionem mansueti exuerent ferociam; quando jam compertum per Germaniam erat æquius ferri à subiectis populis Episcoporum imperia, quàm Ducum & Comitum dominatus. Quam in rem Carolus tantâ sollicitudine sapientes & maturos viros delegit Episcopos, plerosque etiam nobiles, Francorum Regum more, ut à Bignonio observatum, quos rectores imponeret. Eò Crantzius: Pontificibus Saxonie Carolus M. regalia donavit. Planius in Metropoli: Cum persentiret optimus Rex, gentem duræ cervicis non ferre jugum terrene Dominationis, partitus est provincias Religiosis Christi Sacerdotibus, quos iussit Episcopus consecrari: quibus à summo Pontifice & Legatis ejus, cum attributus esset ensis illi spiritualis districtiōnis, ipse Carolus jus suum illis adjecit, ut haberent, quo continerent & distringerent. Eò quoque nihil frequentius apud veteres scriptores, quàm Saxoniam in Parochias, id est, Dioceses Episcoporum esse divisam. Accedebat Caroli votum. Nam ut longum & anceps cum Saxonibus bellum tandem prosperè conficeret, Saxoniam Christo ac D. Petro obtulit, fecus quàm devictis aliis hostium Provinciis ac regnis fecerat; quemadmodum id à Luitprando & Gregorio VII. Pontifice traditum est, satisque adhuc ævo suo inter ipsos Saxones constare Pontifex scripsit.

Bignoni^o ad l. Marculphi. c. 5. Crantzius l. 2. Saxon. c. 23. Metrop. l. 1. in proem.

Non eam quoque Episcoporum potentiam atque ppos ipsi Saxones ægrè invitiqque ferre poterant, apud quos prisco Germanorum more Sacerdotes gentiæ superstitionis honoratissimi erant, magnaque eorum in rebus publicis domi militiæque administrandis auctoritas, quod Deorum suorum ministros crederent; eò etiam non ex plebe, sed ex primâ nobilitate delecti; memoraturque à Tacito Sigismundus Segestis Cheruscorum Principis filius Sacerdos apud aram Ubiorum, cujus Soror Arminii conjugi. Inde triplex ordo apud priscos Germanos Sacerdotum, procerum ac plebis. Nihil jam attinet Druides Gallorum, nihil aliarum gentium Sacerdotes proferre quo Magistratus sui honore in populo eminuerint. Et Carolus ne Christianæ Religionis Sacerdotes infra illorum dignitatem deprimeret, constituit majoribus etiam honoribus exornare. Quo illud non

Tacit. de mor. German. Cluver. lib. 1. c. 24. Tacit. lib. 3. animal.

H. VI
28

immorito referas ex Caroli lege Saxonum populo præscriptum: ut Ecclesie, quæ modo constituuntur in Saxonia, & Deo sacratæ sunt, non minorem habeant honorem, sed majorem & excellentiorem, quàm sana habuissent Idolorum. Et Carolus cùm aliquando per malevolos in suspicionem venisset, tanquam Episcoporum honores & bona imminaturus esset, palam profitetur, se non modò adju-
 rem ac defensorem, sed eum, qui Episcoporum dignitatem & bona ad subli-
 miorem, quàm unquam antè fuerint, gradum per suos evehi velit; quod si ullibi, tum in Saxoniâ Episcopis præstitit: ac re ipsâ jurisdictione & opulentiâ bonorum Principes fecit, cùm cæterorum hæreditariorum Prin-
 cipum nomen adhuc in cunis versaretur. Proferant illi ejusmodi dona-
 tiones Caroli, quales nos ex Osnabrugensis, Bremensis & Verdensis Ecclesie tabulariis sistimus. Nec dubium, quin cæterorum Episcoporum tabulæ pa-
 res fuerint ex divisâ inter Episcopos Saxoniâ.

Capit. Ec-
 cles. Carol
 M. rom. 20
 Concil.
 Paris.

Et verò si hæc Episcoporum per Saxoniam jura regalia à Carolo Epif-
 copatum conditore non sint donata, ostendant singuli ex fastis aut diplo-
 matis suis, à quo Cæsare primùm acceperint. Id cùm hæcenus nemo præ-
 stiterit, haud aliud relinquunt, quàm à primâ sui origine per Carolum com-
 municata esse, auctaque deinde à cæteris Cæsaribus ac Regibus, haud se-
 cus quàm in Paderbornensis Ecclesie diplomate Ludovicus Germaniæ Rex,
 & Carolus Crassus se ad progenitorum avorumque suorum donationem
 referunt. Sanè inter hos Ludovicus Pius Imperator haud alia forma Badu-
 rado secundo post Hathumarum Paderbornensi Episcopo jura confirmat,
 quàm Carolus M. Wihoni Osnabrugensi Episcopo cæterisque dederat; ne
 quis videlicet publicus Judex aut Comes, aut alius Regiæ potestatis mini-
 ster sibi quicquam in subjectos homines & possessiones Paderbornensis Epif-
 copi vendicat. Haud interim ignoro Monasteriensis Chronici scriptores ad
 Fridericum Barbarossam hæc referre, à quo Hermannus II. ejus loci Epif-
 copus primùm Imperii Principis Regalia obtinuerit. Sed hæc vulgi & imperi-
 torum commenta sunt. Jam dudum antè Gerfridus secundus post D.
 Ludgerum Episcopus à Ludovico Pio Cæsare Neomagum evocatus inter
 Principes Imperii judex confedissememoratur, cùm illic Rabani Fulden-
 sis Abbatis controversia in publicis comitiis ageretur. Et quid pro Epif-
 copis hæc tantopere contendimus, cùm Abbates passim nobiliores per id
 tempus ejusmodi regalibus donati fuerint: Quin Carolus M. Eresburgi
 Castellum & omnem illam per duas, ut scribunt, ristas, regionem Mona-
 chis D. Benedicti Familiæ cum amplissima in subjectos incolas jurisdictione
 delargitus est, uti id temporis ex Carolino diplomate proferemus. Agno-
 scunt vel ipsi hæreticorum scriptores, hanc Episcoporum jurisdictionem
 ex Caroli M. decretis, quando iis sancitum est, ut Episcopis æquè ac Co-
 micibus ministrii Regalis portio adscribatur: tum quòd judicum inspectio
 & ministrorum publicorum coercitio illis committatur, quæ in Missis Do-
 minicis, qui plerumque ex Archi-Episcopis & Episcopis delecti, majorem vim
 obtinent, ex communicata juris regalis potestate.

Diploma
 Eresburg

Capit. I. 2.
 c. 12. l. 6.
 c. 313.

Libet nunc quæ Adversarii obtendunt, paucis expendere. Episcopi,
 inquit, & Sacerdotis est præscriptum à Deo sacrorum munus tantum-
 modo tractare, nec profanis se negotiis implicare; quam in rem Imperator sancit: Comites justitiam diligant & faciant, & quàm Religiosè Episcopi conver-
 sentur & prædicent: & amborum relatu de aliorum ministeris cognoscatur, uti pacem,
 concordiam & æquitatem fervent. Quâ lege Comitum & Episcoporum munia
 discrevit, datique ob id à Cæsare Advocati Episcopis, qui eos & tudentur,
 & munia eorum civilia bonaque administrant, quòd id Christi instituto
 & primorum Episcoporum exemplo traditum sit. Antiqua querimonia,
 ad quam antè quadringentos annos respondit Otto Frisingensis Episcopus
 sapientissimus scriptor, non fortuitis casibus, sed profundissimis & justissimis Dei
 iudiciis factum esse, ut Pontifices tantâ potestate subiecti imperarent; verum autem è
 duobus utilius & optabilius sit non tam facillè judicari; status quidem ille melior, iste
 felicior,

Lib. 2. c. 12

Z

felicior,

felicior, & ut Browero visum, multò securior. Sed ejusmodi tempora incidunt, ut Episcopos etiam huic oneri humeros submittere necesse fuerit, quales causas Carolum & ceteros exinde Cæsares habuisse, haud dubitare fas est. Consecuta sunt post tempora ambitione & rapacitate potentum iniquissima; ac nisi Episcopi pro data sibi Principum potestate arma corripuissent, ne oppidum quidem aut prædium plerisque Saxoniarum Ecclesiis mansisset. Ingressa demum est hæresis, quæ uno spolio Religionem & patrimonium Christi rapere coepit. Tum nisi Episcopi se objecissent, censoque Bellarminus totam Germaniam hæresi cessuram fuisse; tanquam Carolus & consequentes inde Cæsares præfago quodam & divino consilio Episcopos Germaniarum hac, de qua agimus, potestate extulerint. Advocati cum Vicariâ Episcoporum potestate Episcoporum bona administrant, jurisdictionem Episcoporum non tam infirmant quam comprobant. Post ubi istud Advocatorum hominum genus pro custodibus gregis se Lupos tulit, coepitque Episcoporum patrimonia per inexplebilem cupiditatem in rem suam convertere, quantâ demum mole actum in exauctorandis illis Ecclesiarum harpiis. Atque hæc simul causa fuit, cur Episcopi, procuratorem suorum bonorum sibi per alios magis fidos ministros sumere necesse habuerint.

Baron. ad
ann. 789.
S. Prosper
de vita
contempl.
l. 2. c. 9.
Concil.
Aquisg. II.

Hic mihi potius illi, qui tantâ contentione oppugnant Episcoporum opes & potentiam, advertant animum, quam rapiendi licentiam invexerit maligna ætas. Nam si, ut præclare Carolus M. ex D. Prosperi & sanctiorum Patrum pronunciato rescripsit cuidam affectanti sacras possessiones, *Bona Ecclesie non esse aliud, quam vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*, quid magnæ illæ heroum ac Cæsarium animæ dicitur, quorum regiâ liberalitate tot Episcopatus, Collegia & Cœnobicia olim condita & dotata sunt: Vivi tot diras ex diplomatis donationum raptoribus imprecati sunt, ut post funera etiam seræ sequerentur vindictæ. Quid accusaturi dicent tot Episcopi & Sacerdotes & Religiosi viri, quorum fudore & parsimoniâ aucta, quid Principes justique homines, quorum pietate & donationibus Deo consecrata? Quod postremo horum omnium iudex Deus pronuntiaturus iudicium? Nec minus crimen est spoliare bonis, quam jurisdictione; quam Episcopi tanto æquius & securius possident, quod & religiosissimi Cæsares fuerint, qui donarint, & sanctissimi Præfules, qui primum acceptarint; horum mihi conscientia & iudicium ante aliorum criminationem. Si qui Episcoporum, quod sæpe factum agnosco, sacra bona & potestatem averterint in luxum & ambitionem, nihil in omnium rerum statu insolens; *Vitia erunt, dum homines*, monet nos Tacitus Romanus scriptor. Quanquam ex Episcoporum jurisdictione per Saxoniâ sublatâ integra malorum liras consecuta, interque hæc ipsi sacrorum ministri cum liberi esse potuissent sub Episcopis, facti sunt servi Civiliū Magistratum. Hæc ipsorum toties audita querimonia, Lutherum quidem largè consuluisse suæ novæ Religionis dando Principibus Episcopatus & bona Ecclesiæ, Sacerdotibus Concubinas, Populo libertatem vitæ, sibi verò servitutem reliquisse sub iugo civili Magistratûs. Hic prodigum, in aliis supra omnes leges divinas & humanas liberalem fuisse. Longius processit, sed Adversariorum provocacione; nunc à Bremensis Ecclesiæ narratione ad Monasteriensem me reflecto.

Num.

H. VI
28